

2. Quicquid efficit alia Peccata, illud est Originale peccatum.

Sed ipsum cor efficit alia peccata.

E. ipsum cor est peccatum Originis.

3. Scriptura describit peccatum verbis substantialibus, utpote Gen. 8. v. 21. Figmentum cordis dicitur malum. Et Rom. 8. vetus homo & corpus peccati appellatur.

Omne autem corpus est substantia.

E. etiam peccatum Originale erit substantia & non accidens.

Hanc Thesin, ne laudatæ suæ eruditioni maculam *Flacius* inureret, postea ut ἰχθυογενῶν, omnibus modis ἀρρομῶς, ut cum Philosopho Eth. 7. cap. 9. loquar, διαφουλάττειν volebat, adhibitis dictis Scripturæ Sacræ & Lutheri, quæ à perversâ allegatione præter cæteros vindicat *Hutterus* in Form. Conc. à p. 30. usq; ad 79. *Gerhardus* Tom. 2. p. 620. ejusq; absurditatem ostendit *Chemnitius* ex præcipuis fidei Articulis Tom. 1. L. C. p. 639. *Meisnerus* Anthropol. Dec. 1. p. 156. & p. 171. ubi ad has Flacianorum objectiones respondet, *Brochman*. Syst. Theol. p. 464.